

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus LXXXVIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

est, quando prorsus intereunt, & ad inferos omnino cæsi demittuntur. Primum genus vulgarem habet loquendi consuetudinem, & illius sensu uidetur dicere, Et pereant, ut salua sint illa. Imple facies eorum ignominia. Item, Et pudefiant & confundantur, & consternentur usque in seculum, & cognoscant, quod nomen tibi Dominus, & quærant nomen tuum, &c. quæ non possunt illis competere, qui bellica strage prorsus sunt ex hac uita sublatis, & ad inferos demissi. iuxta illud: *Psalm. 6.* In inferno autem quis confitebitur tibi? Illud, Et quærent nomen tuum Domine, idem est, ac si dicat: Et coacti ac pudefacti inquirent, quis nam sit Deus ille Israelitarum. Et cognoscant, inquit, quod nomen tibi Dominus. Ebr. ita habet: *יְהוָה אֱלֹהֵינוּ*, id est, Et cognoscant quod tu, uidelicet sis, nomen tuum Dominus. Præclara emphasi sunt ista dicta, quam soli credentes & potentiam Dei fideli corde sentientes & considerantes proferre possunt. Et cognoscant, id est, reipsa pudefacti, consternati ac perditii experiantur, te esse uerum Deum, tibi nomen esse *יְהוָה*, id est, existentem, & omnem omnium essentiam ac uitam in manu sua habentem. Tu solus excelsus super omnem terram. hoc est, quod tu solus sis Deus ac potens Dominus, non in Iudæa tantum, sed & super omnem terram, & omnes omnium gentium deos esse inanes ac uanos. Vel potest hæc postrema particula absque repetitione, *יְהוָה*, per epiphonema legi, ut sit confessio ueri & unius Dei, cuius potestati subiecta sit uniuersa, ex qua fide omnis huius psalmi contra impios hostes effluxerit zelus.

OBSER. I. Primum, uidemus hoc loco, quo debeamus affectu hostibus nostris diuinam imprecari uindictam, etiam si sint impijssimi ac deploratissimi: nepe hoc animo, ut nec ipsorum duntaxat perniciem cupidine uindictæ, nec nostri liberationem, studio *periculis*, sed solam diuini nominis gloriam, zelo amoris eius, unice expetamus. Naturaliter quidem hoc in afflictis concurret, ut liberari ac seruari cupiamus: uerum pius animus, & zelo gloriæ Dei ardens, hætenus naturalem hunc affectum moderabitur, ut si faciat ad gloriam Dei, oret ac petat liberari: sin minus, malit seruare glorificando nomini Dei per aduersorum tolerantiam, quam quicquam illi derogare, per intempestiuam & illegitimam liberationem.

OBSER. II. Imple facies eorum ignominia. Secundo loco expendendum est, quomodo impiorum principum ignominia, confusio, consternatio & perditio ad hoc faciat, ut cognoscant Deum esse Dominum. Quando temerario & impio ausu uerbum ac populum Dei proprijs uiribus freti persequuntur, ita ut putent sibi per quam facile esse utrumque: extinguere, legitima ultione cœlitus percussus, confusi, consternati ac perditii coguntur, nolint uelint, per experientiam cognoscere non se esse dominos, sed Deum cœli ac terræ omnibus in uniuersum dominari. Orandum igitur ex animo, ut impietas ac temeritas principum præsentis seculi potentia diuinæ uindictæ percussus, confusi ac consternati, tandem discant homines esse se, Dei uerò nomen esse Dominum.

OBSER. III. Tu solus excelsus super omnem terram. Notanda est cum primis finalis ista acclamatio. Licet enim nemo eius esse impietatis uideri uelit, ut neget Deum solum esse excelsum super omnem terram: paucissimi tamen sunt, qui uirtutem huius epiphonematis pressa fide considerent. Deprehenditur autem hæc fides, quod Deus solus sit excelsus super omnem terram: hoc est, quod præter eum in toto terrarum orbe nec Deus sit quisquam alius nec Dominus, ideoque non Iudeorum tantum, sed & uniuersarum gentium unus ac uerus sit Deus, mentibus sanctorum prophetarum & apostolorum quam penitissimè infixam, indeque illos, tanquam ex diuite quadam uena, non solum quæ unius ac ueri omnium Dei gloriam, per uniuersum orbem illustrandum, contra quarumuis gentium idololatriam, ideoque & gentium uocationem & Ecclesiam contra Iudaici zeli furorem, sed & quæ omnium piorum salutem contra quosuis impiorum conatus, cōcernunt, quam copiosissimè hausisse. Sit & nobis consolationi hæc particula contra improbissimam Turcorum tyrannidem, quorum princeps ea rapitur infania, ut solus cupiat esse excelsus super omnem terram. Non dubitemus futurum, ut hanc gloriam suam Deus ita sit uindicaturus, ut manifestissimum fiat, ipsum solum uniuersæ terræ dominari. Deinde, etiam si peccatis nostris exigentibus, tyrannidi Turcorum subijciamur, & in quasuis regiones abducamur, facillimum tamen fuerit Deo nostro, ubiuis gentium nos tueri, cum ipse solus sit excelsus, ac Dominus super omnem terram.

P S A L M V S LXXXIIII

AD PRÆCINENDVM SVPER
Torcularibus filiorum Core, Psalmus.

Argumentum huius psalmi.

Habet hic psalmus orationem Dauidis ad Deum, qua seruentissimum cordis sui, quod erga tabernaculum Dei absens habebat, desiderium exprimit. Videtur autem exprimere affectus cordis sui pientissimus rex, quibus erga tabernaculum Dei absens aestuabat, cum esset à Sion improbitate filij sui Absalomi pulsus. Ver-
2. Sam. 13. su namque septimo Sionis meminit, dicens: Videtur Deus deorum in Sion. unde apparet, tum temporis, cum hic psalmus componeretur, tabernaculum Dei fuisse in Sion.

Psalmi

Psalmi dispositio.

Sunt autem quatuor huius psalmi partes. In prima, uersibus 1. 2. & 3. aperit pius rex desiderium cordis sui, quo erga tabernaculum Dei absens flagrat. In secunda, uers. 4. 5. 6. & 7. felices predicat eos, quibus datur in tabernaculo Dei comparere. In tertia uers. 8. 9. 10. & 11. gratiam & misericordiam Dei implorat: simulq; precationis huius rationem subiungit. In quarta uersu ultimo, psalmum insigni epiphonemate concludit, quo felicitatem eorum, qui in Deum sperant, predicat.

PARS PRIMA.



Quam amabilia sunt tabernacula tua Domine exercituum: 1

Concupiscit ac deperit anima mea atria Domini, cor meum, & 2
caro mea gestiunt ad Deum uiuum.

Etiam passer inuenit domicilium, & hirundo nidum sibi, ubi re- 3
ponat pullos suos, altaria tua Domine exercituum: rex meus &

Deus meus.

Etiam passer. Græc. & uulg. Latin. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum. Hier. Et 1
uis nidum sibi. Aquila sic: Etenim auicula inuenit sibi domum, & passer nidum sibi. Vers. 3.

Prima hac psalmi parte uehementiam desiderij sui, quo ardentissimè erga tabernaculum Dei 2
flagrat, declarat: primùm in eo, quòd illa uocat אֶרְצֵי, id est amabilia. Deinde, quòd non tan 3
tum dicit, Amabilia sunt: sed cum admirationis affectu, Quàm amabilia sunt, &c. Sic enim sole- 4
mus in rebus, uel laudandis, uel uituperandis, cum id quod de illis animo sentimus, ore satis ex- 5
primere nequimus, cum admiratione quadam in huiusmodi loquutionem erumpere, ut dica- 6
mus: Quàm perniciosa res est bellum? Quàm est forte charitatis uinculum? Quàm bonus Deus, Psal. 72.

his qui recto sunt corde? Quàm acerba est memoria tua mors, homini habenti pacem? Sic pius 7
rex cum tabernaculi Dei desiderio flagraret, deq; illo noctes atq; dies intentissimè cogitaret, nec 8
haberet, quibus uerbis effectus cordis sui exprimeret, in hanc uocem prorupit, dicens: Quàm 9
amabilia sunt tabernacula tua Domine? Tertiò quòd non simpliciter dicit, Concupisco atria; 10
Domini: sed, Anima mea, inquit, concupiscit. nec cum modo aliquo concupiscit: sed ita, ut de- 11
pereat atria Domini. Dicuntur autem rem aliquam deperire, qui tam uehementi sunt desiderio 12
accensi, ut ui illius profus consumi uideantur, nisi uoti compotes euadant. Deinde, Cor meum, 13
inquit, & caro mea gestiunt ad Deum uiuum. Per carnem intelligit & linguam, & manus, & pe- 14
des. Totum se dicit desiderio atriorum Domini accensum, & anima & corde & carne ad illa ge- 15
stire. Vocat autem arcam Dei, Deum, more scripturæ, qua de re uide Numeri 10. Viuum addit, ad 16
contemptum deorum gentium, qui lapides erant & ligna. Quartò, ad eundem affectum perti- 17
net, quòd infelicem se in eo deplorat, quòd interea dum ipse desiderio tabernaculi Dei absens ta- 18
bescit, passeribus & hirundinibus tanta erat illius copia, ut non solum liberè circa illud uolita- 19
rent, tectisq; illius, quoties lubebat, insiderent, sed & sub illis nidificarent etiam, ac pullos suos re- 20
ponerent. Quasi dicat: Utinam uel passerum sorte potiri daretur, qui dum ego à tabernaculo Dei 21
excludor, etiam nidos suos sub tectis illius reponunt. Oportet omnino intentissimum fuisse pij 22
regis desiderium erga tabernaculum Dei, quòd illi passerum & hirundinum in mentem uenit, 23
qui nidos suos sub tectis illius collocabant.

Primo loco expendendum est ingenium pij regis, quo ille debeat esse animo erga domum Dei. OBSER. I.

Pius David urbem reliquerat insignem, regni sui sedem, & tamen huius nulla habita mentione 24
totus flagrat tabernaculi Dei desiderio. Quem dabis mihi principem nostri seculi, qui regno pul- 25
sus, non magis æstuet urbium, aulæ, hortorum ac uenationum, quàm domus Dei desiderio? 26

Non autem solus David, sed & omnes pij hoc animo fuerunt erga domum Dei. Nequit enim 27
uerè pius esse, cui cordi non est Ecclesia Dei.

Quàm amabilia sunt tabernacula. Quid nam in illis erat, quod tam amabile uidebatur? Forfan ope- OBSER. II.

rosam ac sumptuosum ædificium? At templum illud eximium nondum erat extructum. Humile 28
erat tabernaculum magis peregrinantibus, quàm regni alicuius populo, nedum ipsi regi conue- 29
niens. Ergo pij opus non est magna templorum structura, ad hoc, ut domum Dei diligant. Rur- 30
sus, quid usq; adeò illi in tam humili arridebat tabernaculo? An altarium multitudo? an imagines 31
partim aureæ, partim argenteæ, partim lapideæ, partim ligneæ? Nulla fit horum mentio. Quid in 32
tabernaculo Dei fuerit, uidere est Ebr. 9. Tabernaculum, inquit, factum est primum, in quo e- 33
rant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post uelum autem, secundum 34
tabernaculum, quod dicitur sanctum sanctorum, aureum habes thuribulum, & arcam testamen- 35
ti circumtectam auro ex omni parte: in qua erat urna aurea, habens manna & uirga Aaron quæ 36
fronderat, & tabulæ testamenti, super quæ erant Cherubin gloriæ obumbrantia propitiato- 37
rium. At hodie inuenias innumeros, qui nesciant alium domus Dei ornatum, quàm altarium & 38
imaginum copiam. Verùm quid pijssimo regi usq; adeò tabernacula Dei commendauerit, ipsa 39
uerba satis indicant, cum dicit, Tabernacula tua Domine exercituum: item, Atria Domini: item, 40
Altaria tua Domine exercituum. Hoc scilicet amabilia illi tabernacula Dei reddebāt, quòd erant 41
Dei uiuen-

Vide 2. Sam. 7.

1. Cor. 3.

Dei uiuentis, ac Domini exercituum nomini consecrata, ut in desiderio tabernaculorum Dei a. morem ac zelum Dei intelligamus.

OBSER. III. Expendamus etiam conditionem ac fortunam, in qua erat, cum hoc tabernaculi Dei desiderio flagraret. Nec Ierosolymis erat, nec in pace, sed pulsus à filio, & in summis periculis, absens à domo Dei. Atqui nihil tale de eo legimus, cum Ierosolymis esset, & copiam haberet quotidie inuisendi tabernaculi Dei. Hic usq; adeò sibi ipsi dissimilis erat, ut carnis libidini in uxore Vriæ frustra permitteret. Ita uidemus etiam sanctos tempore pacis, ubi copia datur colendæ domus Dei, admodum frigere ac remissos esse: secus uerò ubi facultas exercendæ religionis in rebus aduersis est adempta. Si quandoq; usuueniet, ut ita peccatis nostris exigentibus, in Turcicas regiones deportatis, omnis adimatur publicæ ecclesiæ facultas, tum deinum experiemur, quis fuerit hic Dauidis affectus, ac serò nimis præsentem hanc nostram socordiam ac stupiditatem, quam in conuentibus ecclesiasticis negligendis declaramus, deplorabimus. Tum & nobis in mentem ueniet passerum ac hirundinum, sub tectis desertarum ecclesiarum nidificantium. Vide exemplum populi Israelitici in psalmo 137. Super flumina Babylonis.

OBSER. Domine exercituum.) Bis uocat Deum, Dominum exercituum. Non facit id intempestiue. Erat enim in periculis ac motibus bellicis, ut haud absque ratione isto elogio diuinæ potentia fidem suam corroborarit. Sed hac de re uide suprâ psal. 24. uers. 9. & 10.

OBSER. V. Rex meus & Deus meus.) His epithetis omnem Deo supra se tam terrenam, quam cœlestem potestatem adscribit. Erat quidem & ipse rex in populo Dei: uerum confitetur hic habere se regem Deum, cuius subditus sit potestati. Ergo qui rex est in terris, regem suprâ se habet in cœlis. Ita Deus rex regum dicitur, & Dominus dominantium. 1. Timoth. 6. Quid autem aliud est reges terræ, regem habere in cœlis, quam nomine tantum esse reges, re ipsa uerò seruos Dei? Ideo alibi dicit Propheta: Domini est regnum. Et in oratione Dominica: Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, &c. Quotusquisq; regum hodie est, qui Deum cum Dauid regem suum esse fateatur, & agnoscat? Fatentur quidem Deum esse Deum, hoc est, habere potestatem in cœlis, at terram dedisse filiis hominum, atq; inter hos se esse reges arbitrâtur, hoc est, omnem habere, ac liberâ quiduis imperandi potestatem.

Non est autem hinc colligendum subditis, quòd liceat ipsis honorem regibus debitum denegare, eo quòd Deus uerus sit rex in omni terra. Consilium Dei est, ut hi qui potestatem gubernandi in terris acceperunt, ea sortiantur nomina, quæ potestati, quam administrent, conueniant, uidelicet ut uocentur reges, principes, iudices, ac dij quoque. Id honoris debetur non ipsis per se, sed potestati quæ Dei est, ut subditi admoneantur ad iustam ac Deo debitam obedientiam præstandam.

SECUNDA PARS PSALMI.

4 Beati qui habitant in domo tua, perpetuò laudant te. Selach.

5 Beatus homo, cuius fortitudo in te est, semitæ in corde eorum.

6 Transeuntes per uallem fletus, fontem ponunt eam, etiam cisternas obtegit pluuia.

7 Eunt de fortitudine ad fortitudinem: uidetur Deus deorum in Sion.

LECTIO. Semitæ in corde eorum.) Græc. & uulgat. Latina, Ascensiones in corde suo. Iustin. Laudationes in corde eius. Pagn. Viæ in corde eorum.

Verf. 6. Transeuntes per uallem fletus.) Versum hunc Græc. & uulg. Lat. sic legunt, In ualle lachrymarum, in loco quem posuit: etenim benedictionem dabit legislator. Postremam particulam Hieron. sic uertit, Benedictione quoque amicitur doctor. Sic & Iustin. Pagn. Etiam piscinas operiet pluuia.

EXPLANATIO. Hæc est altera psalmi pars, qua pius rex felices eos prædicat, quibus dabatur coram Deo in tabernaculo eius comparere, quod sibi id temporis, cum eiectus esset, negabatur. Ita quippe comparati sumus, ut non solum miseriam nostram deploremus, sicubi rebus desideratis potiri non datur, sed & felicissimos eos deprædicemus, quibus illis pro uoto frui datur. Beati inquit, qui habitant in domo tua. Kimhi Ebr. exponit hunc uersum de sacerdotibus ac Leuitis, quorum munus erat, Deo in tabernaculo eius ministrare. Perpetuò laudant te: hoc est, Perpetuò laudes tuas corâ arca tua decantât. Id muneris ipse Dauid certis quibusdâ deputauerat, ut uidere est. 1. Par. 16. Reliquis tribus uersibus, 5. 6. & 7. felicitatem prædicat populi, turmatim singulis diebus festis ad tabernaculum Dei, iuxta legis præscriptum, ascendentis. Huius ascensionis iucunditatem ipse olim, cum adhuc priuatus esset, expertus fuerat. Nam absque dubio & ipse iuxta mandatum legis ad domum Dei, in Silo constitutam, cum alijs ascenderat. Ideo huius in mentem illi uenit. Beatus homo, inquit, cuius fortitudo in te est: id est, qui fortitudine & ope tua nititur. Semitæ in corde eorum. Intellige, quibus ad domum Dei ascende-batur. Transeuntes per uallem fletus. Basiliius de certa quadam ualle intelligit, quæ in scripturis Iudic. 2. locus flentium dicatur. Alij exponunt de quauis ualle, per quam ascende-batur Ierosolymam, ut sit numerus singularis positus pro plurali. Fontem eam ponunt: hoc est, ita replent eam fontibus passim effosis, ut tota fons quidam dici possit. Etiam cisternas pluuia operit. Q. d. Non solum transeuntium cisternas sedulitate ualles fontibus replentur, sed & cisternæ quæ in illis sunt, coelitus tuo beneficio, demissis pluuijs operiuntur.

Aperiuntur: id id, ad summum usque opplentur. Eunt de fortitudine ad fortitudinem: hoc est, tam abest, ut ascendendo fatigentur, ut etiam præ ingenti desiderio alacriores & expeditiores reddantur. Videtur Deus deorum in Sion, id est, Tandem quò uolunt ueniunt: quod expetunt, adipiscuntur: uoti compotes facti, comparent in tabernaculo: uident Deum deorum in Sion, hoc est, arcam Dei deorum uident, in qua ille sedem suam in medio populi sui esse uoluit. Hec est simplicior, ut mihi uideatur, & psalmi argumento conuenientior istorum uersuum expositio. Vehementia igitur desiderij, quò flagrabat erga tabernaculum Dei, dat populo ad illud ascendenti ista, quòd fortitudine Dei sola nitatur, quòd ex animo uias Ierosolymam ducetes amplexetur, quòd nullam sitis molestiam sentiat, quòd non defatigetur, sed alacrior reddatur, quòd uoti compos Deum deorum uidendo euadat.

Beati qui habitant in domo tua.) Notandum hic est ingenium piorum qui in studio pietatis ac zelo Dei reliquos eo metiuntur affectu, quo ipsi sunt præditi, etiam si illi plerumque longè sint aliter animati. Pius rex beatos ducebat sacerdotes ac Leuitas, quibus datum erat habitare, id est, perpetuò commorari in domo Dei, illumq; sedulo ac continuò laudare: item eos quoque, qui singulis festis diebus Ierosolymam in tabernaculum Dei ascendebant. At quis dubitat quàm plurimos ex illis fuisse, tam sacerdotibus ac Leuitis, quàm populo, qui se haudquaquam ob hanc causam felices esse duxerint? Sic Regina Sabba beatos ducebat eos, quorum officium erat perpetuò assistere regi Salomoni, & audire illius sapientiam. Credibile est multos ex illis fuisse, qui maluerint quiduis aliud facere, quàm perpetuò assistere regi.

Perpetuò laudant te.) Ob quam causam beatos eos duxerit, his uerbis declarat: quibus significat, quantum gestierit ad quotidiana ista diuinæ laudis sacrificia, quæ ipse instituerat. Et reuera nihil potest homini pio iucundius contingere in hac uita, quàm si detur perpetuò laudibus Dei decantandis immorari. At ista laudum Dei suauitas non potest habere locum in hominibus carnaliter ac seculariter animatis. Nascitur enim ex uiuaci beneficiorum Dei sensu, & intenta magnificentia, gloriæ, potentia, iustitia, bonitatis, misericordiæ ac ueritatis illius consideratione.

Beatus homo, cuius fortitudo in te est.) Ergo miser est & infelix, cuius fortitudo non in Deo, sed uel in ipso, uel in alijs est creaturis. At iuxta rationis humanæ iudicium, is demum infelix potius dicitur, qui quod ipsum uel alios concernit, nulla est fortitudine præditus, sed cogitur diuino niti auxilio & robore. Verum Propheta talem beatum uocat. Quare? Quia uidelicet fortitudinem habet paratissimam simul & inuictissimam. Iuxta seculum quidem miserum est nullis proprijs præditum esse uiribus, sed aliena fortitudine, ope ac sustentatione niti. Hic autem reuera beatus est, qui per se nihil, per Deum uerò omnia potest. Sic Paulus dicebat: Omnia possum in eo qui me confortat. *Philipp. 4.*

De mystico huius loci sensu.

In sensu mystico, quem locus hic pulcherrimum habet, duo nobis proponuntur beatorum genera & exempla. Vnum eorum est, qui ex præsentis uitæ miserijs liberati, iam in cœlesti patria, in domo Dei, commorantur, cuius typum terrena Sion olim habuit. Horum exemplum uersu 4. refertur, cum dicitur: Beati qui habitant in domo tua. Dicamus autem eos beatos, non propter ea tantum, quòd à miserijs huius præsentis uitæ liberati sunt, sed magis ob id quòd in domo Dei sunt, in qua Deum perpetuò laudant. Nihil potest illis aliud tribui, quòd æternæ illi uitæ ac sempiternæ felicitati competat, quàm unum hoc, quòd Deum perpetuò laudare dicuntur. Est autem hoc non eorum qui felicitatem hanc meritis suis adepti sint, sed qui sola gratia benignissimi patris in eam sint electi & assumpti.

Alterum exemplum eorum est qui adhuc in itinere sunt, ad cœlestem Hierusalem proficiscen-
tes. Et hi beati dicuntur propter uocationis & electionis gratiam, per quam in itinere, quo ad futuram uitam contendunt, confirmantur, ducuntur, & magna cum alacritate recreantur & animantur, donec cœlestem patriam, domum Dei apprehendant, inq; illa perpetua Dei deorum uisione fruantur. Ad hanc profectionem necessaria quidem est eximia & irremissa fortitudo. At illam in Deo habent.

Necessaria est animi propensio & appositio. At hanc quoq; habent pij isti. Sunt enim, inquit, semitæ in corde eorum, quibus ad cœlum properant. Trāseundū illis est per uallem lachrymarum ac fletus. Sic Apostolus dicit: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Verum non deest hic diuina cōsolatio, qua recreantur. Opus est uiribus perseverantibus, ne defatigati in itinere subsidant ac pereant. At hic quoq; succurrit diuina gratia, tamq; abundè proficiscentes corroborat, ut quo magis progrediendo ac properando exercentur, hoc reddantur ad persequendum, & cœptum iter absolendum infractiones: atq; ita sicut Propheta dicit, Eant de fortitudine ad fortitudinē. Sunt enim in studio & conuersatione pietatis, fidei, qua ad Deum acceditur, gradus quidam, & incrementa, quibus illa subinde auctior atque uegetior exurgit. Tandem uidetur Deus deorum in Sion. De hac uisione sunt pleræque promissiones in scripturis, ut Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Et 1. Ioann. 5. Videbimus eum, sicuti est. De modo, quo illū uidebimus, non sumus curiosi: sed potius concepta uidendi illius spe, cordis mundiciem ac sanctimoniam illibatam seruemus, sine qua nemo Deum uidere poterit. Et omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificabit se, sicut & ille sanctus est. 1. Ioan. 5. Certa hæc sunt, uidebimus,

2. Cor. 1. uidebimus, amabimus, & laudabimus sine omni fine, sine omni fastidio. Reliqua diuina prouidentia committamus. Alioqui siquidem oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ diligentibus se præparauit Deus.

TERTIA PARS PSALMI.

8 Domine Deus exercituum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Jacob. Selah.

9 Clypeus noster adspice Deus, respice faciem Christi tui.

10 Quia melior est dies in atrijs tuis, quam mille: elegi ad limen esse in Domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis impietatis.

11 Quia sol & clypeus est Dominus Deus, gratiam & gloriam dat Dominus, non negat bonum his qui ambulant integrè.

LECTIO. *Ad limen esse.*) Græc. & uulg. Lat. Abiectus esse. Sic & Hieronymus & Iustinianus. Pagninus, *Esse* in limine. Felix, *Super limen habitare.* Campensis, *Accubare ad limen.*

VERS. 11. *Quia sol.*) Græc. & uulg. Lat. Quia misericordiam & ueritatem diligit Deus. Reliqui legunt, ut est in Ebræo, *Quia sol & scutum,* &c.

EXPLANATIO. Precationem habet hæc tertia psalmi pars. Vers. 8. & 9. Deum orat, ut se exaudiat, & faciem Christi sui placidus respiciat. Exaudi, inquit, orationem meam, auribus percipe Deus Jacob. Idem

VERS. 8, 9. est exaudire, & auribus percipere: uerum ita solet animus ad precandum exæstuans. Non exprimit quid orauerit, quam orationem exaudiri petat. At priores duæ partes satis significant, quæ fuerit pijsimi regis oratio, nempe, ardentissimum illud uotum, quo ad domum Dei suspirabat. Sic alibi dicit: Vnum hoc petij à Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ. Clypeus noster, inquit. Aspice Deus, respice faciem Christi tui. Hoc est, placidus miseriam Christi tui, regis tui, quem tu unxisti, & populo tuo præfecisti, respice: inquit, eum locum, in quem eum collocasti, restitue.

VERS. 10. precationis suæ rationem subiungit, & simul animi sui desiderium erga domum Dei, cuius uehementiam supra expressit, per collationem domus Dei, & locorum prophanorum refricat, dicens: Quia melior est dies una, uidelicet in atrijs tuis, quam mille, quibuscumque alijs locis. Elegi ad limen esse in domo Dei mei. hoc est: Si optio detur, malim postremus esse in domo Dei mei, quam primus in tabernaculis impietatis, id est, impiorum.

VERS. 11. collationis huius rationem reddit, dicens: Quia sol & clypeus est Dominus Deus. hoc est: Quia solus uerus Deus est, omnes suorum tenebras solis instar discutiens, corda illorum exhilarans, & contra quosuis insultus, uelut clypeus quidam protegens ac defendens. Gratiam & gloriam dat Dominus, non negat bonum his qui ambulant integrè. hoc est, Ipse solus, quos diligit & charos reddit quibusuis & gloriosos: nec patitur, ut hi qui sincero & integro corde coram se ambulant, quocumque bono destituantur. Certè fuerat hoc pijsimus rex expertus. Beneficio namque Dei factus fuerat gratus omni populo Israeli, & in regiam gloriam euectus, deinde & multis beneficijs cumulatus. Bonitatis huius Dei sui rememoratione fidem suam ac spem restitutionis, pro qua orabat, confirmat.

OBSER. I. *Exaudi orationem meam.*) Notandum hic est, singularem esse gratiam Dei, si orationes nostras exaudiat, ideoque & singulariter pro hac, licet eam promiserit, esse orandum. Verum hoc seculo adeo plerique obduriuimus, ut magis orandum nobis sit ad Deum, ut spiritum orandi largiatur. Deinde & hoc notandum est, quod suspiria & uota cordis sui, orationem uocat. Obseruent hoc illi qui putant se non orare, nisi quando uerbis compositis, & longo sermone cum Deo loquuntur.

OBSER. II. *Respice in faciem Christi tui.*) Munus regium, quod à Deo acceperat, in medium adducit. Quasi dicat: Qualis qualis propria & priuata conditione sum, Christus tamen, id est, unctus tuus, rex abs te populo tuo præfectus sum. Notent hic qui serui Dei sunt, reges, principes, magistratus, ministri uerbi, qua debeant esse muneris gratia, quod ab ipso acceperunt, erga eum fiducia. Verum

Osea 2. cauendum illis est, ne sint ex eorum numero, de quibus alibi dicit: Regnauerunt, & non ex me: hoc est, ne uel precio, uel ambitione, uel uis ipsi intruserint. Deinde etiam si ritè sint uocati, curandum est, ut inculpatè munus suum quisque administret. Alioqui nunquam poterunt bona cum fiducia ad Deum dicere: Respice in faciem serui tui.

OBSER. III. *Quia melior est dies (una) in atrijs tuis, quam mille.*) Notanda est hæc collatio dierum, eorum qui in domo Dei, & eorum qui inter prophanos & impios transiguntur. Animo pio iucundius est uno die uel postremo loco esse in domo Dei sui, quam regnare inter prophanos. Tale quid de Mose commemorat Apostolus, Ebr. 11. dicens: Fide Moses grandis factus, negauit se esse filium filiae Pharaonis: magis eligens adfligi cum populo Dei, quam temporariam habere peccati iucunditatem: maiores diuitias æstimans improprium Christi, quam Aegyptiorum thesaurum. Quam ista pietas euauerit, in eo satis liquet, quod tam pauci sunt, qui malint Christo pauperi & contempto seruire, quam huic seculo omnium prophanissimo. Iam passim in scholis Christianorum plus studij, & sumptuum iurisprudentiæ, & arti medicandi, quam uerbo Dei impenditur. Gloriosius ac quaestuosius est aulis principum seruire, quam Ecclesiæ Christi.

Quia sol & clypeus est Dominus Deus.) Deum solem esse integris corde, bifariam intelligi potest. Pri- OBSER.
mum, ut id ad eorum animos referamus, qui eum diligunt. Illis erat arca testamenti tum in Sion IIII.
constituta, ita aspectu iucunda & amabilis, ut solis uideretur serenitatem & iucunditatem etiam
superare. Sicut comparati sunt amantium animi. Illis etiam apud Germanos sol illuxisse dicitur,
quoties eorum conspectui, uel usui, quod amant oblatum fuerit.

Secundo, ut ad ipsum Deum referamus, qui aspectu gratiæ suæ id est piorum mentibus, quod 2
uirtute sua sol est orbi. Hanc autem quis dignè expendet? Mox ortu suo cœli tristitiam discutit,
tenebras noctis fugat, terram uniuersam illuminat, & plus lucis unus adfert, quàm omnes reli-
quæ stellæ, quæ utut numero sint infinitæ, noctis tamen caliginem in uniuersum tollere ne-
queunt, atq; etiam humani animi nubila serenat. Orbem quotidie percurrit, motuq; fertur infra-
cto, omnia calefacit: quæ gelata erant, liquefacit: quæ mollia, durat: humores telluris exiccat, in
uiscera terræ & maris fundum penetrat, accessu suo æstatem omnium gratissimam, discessu uerò
hyemem ad refrigerandam ac recreandam post calores æstatis tellurem inducit. Occasu suo no-
ctis tenebras quieti & hominum & animantium necessarias caufatur, & interea in absentia sua re-
liquis sideribus lumen suum communicat. Quotidie nouus, recens, iucundus, formosissimus, tan-
quam sponsus, thalamo suo, & spirantibus omnibus gratissimus exoritur. Hac solis considerata
immagine, quæ oculis nostris quotidie est exposita, cuius uirtutem quotidie sentimus & experi-
mur, in contemplationem Domini Dei nostri, omnium opificis, qualicūq; manu ductione uenire
licet. Et utinam ita Deus noster mentibus nostris quotidie nouus ac recens exoritur, quomo-
do sol oculis nostris. Talis quidem est Deus pijs mentibus, qualis hac nobis metaphora solis illu-
strissimè depingitur: impijs uerò ac reprobis nihil est aliud quàm densissima caligo, & qui caligi-
nem comitari solet, tristissimus horror, adhæc & sempiterna conscientiae tortura. Cum peruersis
enim peruertitur & ipse, psal. 18.

Significat igitur Propheta, sine Deo, ubicunque locorum sis, omnia esse meras tenebras, per- Qui nec solis be-
inde atque si mundus hic sole sit destitutus: deinde solum eum esse, qui suos defendat. Ergo pij neficium & uir-
cum fiant in mundo omnia esse tristitia & tenebrosa, in Deo uerò contrà omnia lucida & iucun- tute intelligunt,
da: rursum in mundo uarios & innumeros esse insultus, Deum uerò tutissimum esse suorum pro- nec clypeus sum
tectorem, malunt cum Deo agere, quàm uanissimum ac turbatissimum hoc seculum sectari. Dis- experti sunt, me
camus igitur, quò fugiendum sit ex tenebris huius mundi, & ubi quærendus sit clypeus, contra taphoras istas
quous latanæ ac mundi huius impetus. non poterunt di-
gne expendere.

Deinde & hoc notandum est, quòd non dicit, Quia sol & clypeus est Dominus Israeli, uel mi-
hi, uel cuiquam alij specialiter: sed, His qui ambulant integrè: nec cogitemus illum non omnibus
integris, sed uel Israeli tantū, uel Dauidi, uel sanctorum alicui specialiter esse talem. Vniuersis in-
tegris ac sinceris corde sol est, & clypeus. Qui tales non sunt, si talem non sentiunt, non habent
quod meritò querantur, nec quod accusent, nisi suam ipsorum peruersitatem & maliciam.

Tertiò notanda etiam hic est admirabilis admodum solis & clypei coniunctio, si metaphoram 3
utriusq; consideres in electis, quibus Deus sol & clypeus esse dicitur. In sole imago est gaudij &
delectationis, in clypeo protectionis. Non est autem clypei usus, ubi nulli sunt hostium insultus.
At ubi illi sunt, ibi parum loci uidetur habere gaudium & iucunditas animorum, sed magis anxie-
tas & metus. Iam cum Deus hic suis & sol esse dicitur & clypeus, quis non intelligit, illos ita frui
lætitia & iucunditate solis huius, ut tamen simul hostium sint insultibus expositi, ac nihilominus
in rebus aduersis simul & animi non amittere lætitiā, & salutis possidere securitatem?

Gratiam & gloriam dat Dominus, &c.) Notemus hic, quæ sit bonitas ac beneuolentia Dei erga eos OBSER. V.
qui sincerè coram eo uiuunt. Diligit eos. Nihil igitur illis negat. Reddit eos gratos & acceptos,
euehit in sublime si ipsis sit utile, nec patitur, ut bono aliquo, necessario scilicet, careant. Ergo
Deus est, qui tria hæc largiri potest, gratiam, gloriam, & bonorum sufficientiam. Contrà eos qui
sinistro erga ipsum sunt corde, potest reddere ingratos, inglorios, & quouis bono destitutos.
Quid ergo ista quærimus in hoc seculo artibus impijs, & in contrarium tendentibus, cum fallax
sit huius mundi & gratia, & gloria, & opulentia?

Gratiam & gloriam dat Dominus, non negat bonum his qui ambulant integrè.

Nascitur hic quæstio, quomodo uerum sit, quòd Propheta hic dicit, nempe, quòd Dominus
gratiam & gloriam det integris ac sinceris, nec neget illis aliquod bonum, cum primum diuer-
sum in illis appareat (nemo enim illis minus est in hoc seculo acceptus, honoratus & locuples:
qui uerò impij sunt, plerunq; sunt grati, honorati, & opulenti) deinde etiam absurditas illa seque-
retur, quòd pro *צדקתו* id est, integris habendi essent plerunq; impij, accepti, honorati & diui-
tes in hoc seculo: & pro impijs pij exosi, despecti & pauperes. quod si ita sentiremus, quid facere-
mus aliud, quàm quòd nationem filiorum Dei reprobaremus?

Respondeo: Statuendum est, omnino uerum esse, quòd hic Propheta dicit: uerum non ita, ut psal. 72.
simpliciter ista det Dominus in uniuersum omnibus pijs, & ubiq; & semper, ut ex his ueluti indi-
cijs de mortalium sit integritate iudicandum. Absit. Neque enim mox pijs omnibus ista condu-
cunt. Quibusdam ista largitur, quos ueluti stellas quasdam singulariter ad hoc deligit, ut sint reli-
quis exempli uice, in quibus declaretur, se esse qui gratiam, gloriam, & omne bonum, quibus uo-
luerit, dare possit. Declaratum hoc est in Abrahamo, Ioseph, & Dauide. Vicissim non omnes im-
pios in

pios in hoc seculo, ut digni sunt, punit: sed quosdam ex illis singulariter defumit, in quibus, ueluti C exemplis iræ suæ, demonstrat reliquis, esse se Deum qui impios detestetur, deq; impietate illorum meritis sit pœnas sumpturus. Interea tamen, qui integri sunt, & in hoc seculo exosi, despecti & pauperes, primum ne putent se Deo esse ingratos, despectos, & quouis bono destitutos: habent unde seipso consoletur, Christum filium Dei, Dominum omnium, in hoc seculo exosum, despectum ac pauperem habitum: habent uocationem ad cœlestem gratiam, gloriam & felicitatem, quæ omnes pios pariter excipient: & ad hæc etiam in hac uita accepti sunt bonis quibusuis, à quibus & honore afficiuntur, & in rebus necessarijs ita adiuuantur, ut reuera nullo bono, modo salubri ac necessario, destituantur. Hæc utiq; habent ex dono & bonitate Dei. Quis autem piorum queretur de odio, contēptu ac egestate inter reprobos in hoc seculo: & non magis Deo gratias agat de gratia, gloria, & rerum necessariarum sufficientia, quibus inter pios honoratur, deq; futura illa gloria & consummatissima cœlestis uitæ felicitate? An nō satius est acceptum esse pijs quàm impijs? honorari à bonis, quàm à reprobis? rebus necessarijs potiri inter pios, quàm abundare diuitijs inter impios? cœlesti ac perpetua in cœlis coram Deo & omnibus angelis ac pijs, frui gratia, gloria & felicitate, quàm perituram gratiam, gloriam & opulentiam inuenire coram impijs? Est igitur omnino uerum, quod Propheta Dominum integris gratiam & gloriam, ac bonorum sufficientiam largiri dicit, quantumuis diuersum in hoc seculo uideatur.

VLTIMA PARS.

12 Domine exercituum, beatus homo, qui sperat in te.

Vltima psalmi parte psalmum exclamatione concludit, sicuti solent animi crebris & ardentibus cogitationibus exæstuant, & tandem in sententiam aliquam prorumpentes. Postquam enim commemorauit Deum esse suorum solem ac clypeum, eosq; pro sua bonitate quouis bonorum genere adficere, in hanc exclamationem erupit, ut beatum prædicet eum qui spem suam in ipsum collocet. Quibus uerbis non tam beatitudinem sperantis hominis, quàm bonitatem Dei sperantes in se, non deserentis, prædicat & extollit. Talis est illa exclamatio Euangelicæ mulieris, Lucæ 11. quæ dicebat: Beatus uenter, qui te portauit, & ubera quæ suxisti. ubi Christus magis quàm maternus uterus extollitur. Sic Regina Sabba cum dicebat, Beati sunt serui tui, qui hic stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam: magis amplitudinem sapientiæ Salomonis, quàm beatitudinem seruorum illam audientium extollebat.

Lucæ 11.
1. Reg. 10.

OBSER. I. Qui sperat.) Notandum hic est quod dicit, Qui sperat in te: cum de illis loquatur, qui integrè coram Deo ambulant, quibus uersu præcedenti dixit, Deum dare gratiam, gloriam, & quodcumque bonum, esse illis solem & clypeum. Ergo eiusdem est animi, integrè ac sincerè ambulare coram Deo, & in illum sperare.

OBSER. II. In te.) Quod felicitatem sperantibus in Deum deputat, id quod multis scripturæ locis fieri uidemus, quod referri debeat, ex præcedentibus, ut monui, intelligendum est. Nam alioqui spes in se, nec tanti est meriti, ut felicitatem promereatur: nec eius conditionis & naturæ, ut hanc per se adferat. Est enim in se magis miserum quàm beatum sperare. Vbi enim spe uiuitur, ea certe quæ sperantur, nondum possidentur. Alioqui, ut beatus Paulus arguit, Quid sperares quæ habes? uerum quoniam Deus, in quem sperant pijs, sol est & clypeus sperantibus in se: propter hanc illius bonitatem, qua non deserit sperantes in se, beati dicuntur, sperantes in illum. Ideo Propheta rectè hic non simpliciter dicit, Beatus homo qui sperat: sed addit, In te. Est ergo unica hæc uia, qua adfluit animâ. homo miser & infelix, ueram felicitatem apprehendat, spes immota in Deum, ex cordis sinceritate, quæ est fides illibata, promanans,

Seneca lib. 1.
Epist. 10. Spes,
inquit, incerti
boni nomen est.
Prou. 13. Spes
quæ differtur,
adfluit animâ.

PSALMVS LXXXV.

AD PRÆCINENDVM

filijs Corah Psalmus.

Argumentum.

Non est hic psalmus priuati cuiuspiam affectus, quo priuatis de causis coram Deo agatur, sed planè publici. Causam namq; populi Dei Propheta non suam ipsius aliquam hic agit. Sunt autem duæ illius partes. Prima uers. 7. prioribus orationem habet ad Deum, pro reconciliatione ac salute populi impetranda. Altera reliquis 6. uersibus uaticinium canit de futura in populo Dei salute, gloria, fide, bonitate, iusticia & pace.

PARS PRIMA.

- 1 Auisti Domine terræ tuæ, reduxisti captiuitatem Iacob.
- 2 Remisisti iniquitatem populi, operuisti omne peccatum eorum.
- 3 Selah.
- 4 Continuisti omnem iram tuam, conuersus es ab ira indignationis tuæ.
- 5 Conuerte nos Deus salutis nostræ, & solve iram tuam à nobis.

In æternum